

dam corporis, posseque imponi per modum penitentiae à Confessario. "Nullus (ai) negaverit laboriosum esse scribens exercitium. Acceptet ergo istud in penitentiam seu satisfactionem, pro suis aliisque delictis, &c. Junge quòd in foro penitentiae potest iste labor ad satisfactionem imponi. Quem laborem si nullus hominum imponit, imposuit sanè Deus ab initio, cum dixit Adæ & posteris ejus: In sudore vultus tui vesceris pane tuo.

XVII. Ceteræ consideraciones Gersonianæ ostendunt fructum multiplicem ex scriptione accurata piorum librorum in Ecclesiam & populum dimanantem: quico tempore, quo scribebat Gersonius, nimirum anno 1428. major erat; quòd necdum ars typographica esset reperta; unde nec mirum, si Gersonius & ipsam transcribendi libros necessitatem & utilitatem tanto opere extollat.

XVIII. Interim ex omnibus concludit Gersonius: Nihil impedit libros seu tractatulos vel codicillos devotionis scribere festis diebus: habito moderamine, quale sapiens iudicabit in hoc opere; quòd utique non servile censendum est; sed in honorem Ecclesiae aliando quando plus vergens, quam multiplicatio vocalis orationis, imò quàm insolens in aliquibus Missarum multiplicatione.

XIX. Quæ hic circa transcriptionem piorum librorum dixit Gersonius, eadem quoad alia multa exercitia non servilia dici possunt; quòd nimirum ea sanctificationem diei Festi non violent, modo cum ea moderatione, intentione, aliisque circumstantiis à Gersonio descriptis, fiant.

E contrario, si ea moderatio, eaque condiciones non ferventur, facile fiet; ut similia exercitia sanctificationem diei Festi impediant.

Quid enim, si quis diem Festum pro majore parte impendat scribendo acta aut instrumenta litium sub debito salario: quemadmodum Procuratorum, Advocatorum, Notariorum, aliorumque Officiariorum ministri sive Scribae facere consueverunt? Quis dicit hujusmodi Scriptores diem Festum sanctificare? Et de tali scriptione indubie intelligendus S. Bonaventura in *Speculo Disciplinæ ad Novit parte 1. cap. 22.* ubi inter ea, quæ in diem non festivum differenda censet, numerat scribere in quaterno.

XX. Eadem ratione post alios Theologos docet Merbelyus *primæ parte quæst. 195. conclus. 12.* "Peccare Advocatos, qui cupiditatis & avaritiae studio succenti solitos labores Dominicis diebus & Festis obeunt, & ita sese in secularia negotia immergunt, ut nihil tibi temporis relinquant, quo Deum singulari cultu, iis præsertim diebus prosequantur, & suæ salutis consulant." Idem ait de Procuratoribus aliisque qui negotiis tamen si liberis simili modo se immergunt.

XXI. Quin & circa ipsa itinera, quæ Synodus Aurelianensis Anno 538. *can. 28.* diebus Dominicis verita non esse declarat, quadam moderatio tenenda est.

Sanctus Theodulphus Aurelianensis Episcopus in citato Decreto, postquam dixit, tantam debere esse observantiam, ut præter orationes & Missarum solemnia & ea quæ ad vescendum pertinent, nihil aliud fiat, immediate subjicit: "Nam & si necessitas fuerit navigandi, sive itinerandi, licentia datur; ita dumtaxat, ut hæc occasione Missæ & orationes non prætermittantur."

Quamvis ergo conformiter ad Synodum Aurelianensem declararet hic Aurelianensis Antistes, diebus Dominicis esse licentiam itinerandi, eam tamen non nisi necessitas concurrat concedere videtur; idque ulterius ea moderatione, ut Missæ & Orationes non prætermittantur.

Et fortius citata Synodus Coyacensis sub S. Ferdinando Rege Castellæ de celebratione diei Dominicæ agens dicit: "Servile opus non exerceant, nec festentur itinera, nisi orationis causa, aut sepeliendi mortuos, aut visitandi infirmos, aut pro Regis secreto, pro Sarracenos impetu."

XXII. Sanè timoratorum plurium praxis etiam hodierna docet, itinera præcipue longa, quæ notabilem diei partem occupant, diebus festis non esse facile laticiendi; eaque, si sine notabili incommodo fieri queat, in alium diem esse differenda; exemplo Comitum S. Geraldii, de quo in ejus vita narrat S. Odo *lib. 2. cap. 24.* "Itum dum ab Urbe rediret, venit Sabbatho ad quandam Ecclesiam, juxta locum scilicet, ubi sulphuris rei videntur acervi. Cum autem vellet populus in crastinum proficisci, retinuit eos, dicens; quòd ob reverentiam Dominici diei, saltem usque ad nonam demorarentur. Nec illa demoratio fuit etiam sine beneficio temporalii."

Notandum per horam nonam hic intelligi horam, quæ nostræ horæ tertiæ pomeridianæ respondet.

XXIII. Quòd olim deploravit Concilium Parisiense anno 829 *lib. 1. cap. 50.* quòd utcumque dies Dominica à quibusdam Dominicis venerando custoditi viderentur, sed à servis servitio eorum pressis perratò debito honore coli inveniretur, hodie merito deploratur; dum videmus plures famulos famulasque diebus festis in tantum à suis Dominicis impendi & ad operas adigi; ut iis vix tempus Missam audiendi indulgeatur; indeque non rarò contingat, ut circa fidei mysteria, ac vita Christianæ normam planè rudes sint.

Inter leges Ecclesiasticas sancti Canuti Regis Danorum *cap. 14.* legitur: "Hucus si servo invito opus adixerit die quocumque festo, servo multator tuo, tervus deinceps liber esto."

XXIV. Apud Regionem De *Eccl. Discipl. lib. 2. cap. 416.* refertur sub nomine Concilii Rothomagensis: Admonere debent Sacerdotes proles sibi subditas ut bubulcos atque porcarios vel alios pastores vel aratores, qui in agris assidue commorantur vel in silvis, & ideo more pecudum vivunt, in Dominicis & in aliis festis diebus saltem ad Missam faciant vel permittant venire. Nam & hos Christus pretioso sanguine suo redemit. Quòd si neglexerint, pro animalibus eorum absque dubio rationem se reddituros sciant.

Hic notandum, quòd juxta illius temporis disciplinam, nomine Missæ hic intelligatur Missa solemnis sive Parochialis, sub qua & ipsa concio comprehenditur, juxta dicta capite præcedenti.

XXV. Et in Capitularibus Regum Francorum legitur *lib. 6. cap. 205.* "Et illo die seu Sabbatho ad Vesperas & ad Matutinas sive ad Missam cum eorum oblationibus, si fieri potest, omnes canendo, Kyrie eleyson veniant, & eundo & redeundo Kyrie eleyson decantent." Similiter & pastores pecorum eundo & redeundo in campum & ad domum faciant, ut omnes eos veraciter Christianos & devotos esse cognoscant. "Idem eisdem pene verbis expressit Herardus Archiepiscopus Turonensis in suis Constitutionibus *cap. 114.* Habentur ad calcem tomii Capitularium Regum Francorum editionis Baluzianæ. Notandum autem per Kyrie eleyson hic intelligi *Listas publicas* quæ per Kyrie eleyson incipere solent. Consule Glossarium Du Cange verbo *Kyrieles*.

Quam crassa soleat in hoc hominum genere esse ignorantia, & sapius vita omnino gentilis, quin & impia, nimis notum est; ut merito hic rursus repetam, quòd ex Synodo Namurensi relatum est supra *parte 1. tit. 3. cap. 5.* ut "Pastores tempore messis, & etiam illis diebus, quibus opitiones, bubulci, vel subulci in agris sunt, illos visitent ibidem & doceant, imitari ea in

ea in

ea in parte vestigia Salvatoris nostri Jesu Christi, qui per vicos & plateas transibant evangelizare Regnum Dei.

CAPUT IV.

Streptus forenses & mercatus diebus Festivali vetiti.

1. Ex precepto sanctificandi dies festos prohiuit, à streptu forensi abstinendum esse.
2. Quid de hoc edixerit Constantinus Magnus?
3. Lex Theodosii Imperatoris.
4. Amplius de hac re Constitutio Leonis & Anthemii Imperatorum.
5. Canones legibus consentiunt.
6. Sententia pronuntiato, etiam ante concepta, die festo fieri nequit.
7. Similiter nec sententia executio.
8. Examen testium, licet jam ante juraverint, die festo non instituendum.
9. Actus judiciales die festo exerciti sunt invalidi; licet partes consenserint.
10. Ob necessitatem aut pietatem interdum liciti.
11. Mercatus cur diebus festis prohibitus.
12. Distinctio inter actus judiciales & mercatum diebus illis exercitos.
13. De vetitis mercatu & nundinis die festo Decretum Synodi Cameracensis.
14. Conforme Edictum Philippi II.
15. Simile Decretum Synodorum Mechlinsiensium, & Edictum Principum.
16. Vetitum vendere carnes in macello; vel mercis in domibus privatis; etiam foribus clausis.
17. Regulamentum Magistratus Bruxellensis circa venditionem edulium diebus festis.
18. Decretum S. Caroli diebus festis mercatum interdicens.
19. Etiam ementes violationis festorum complices declarat; minor a ramen vendi permittit.
20. Quibus potissimum incumbat hæc invigilare?



Pera servilia inhibita esse diebus Dominicis & Festivali, ea potissimum ex causa, quia hominem abstrahunt ab his quæ diebus illis tractare & agere oportet, redduntque eum nimis implicatum, quam ut divinis pro exigentia & sanctificatione ejusmodi dierum vacare possit, notatum fuit capite superiori.

Ex ipsa igitur ratione præcepti consequens est meritò per Canones jam pridem vetita esse diebus illis Deo sacris omnia ea exercitia, quæ hominem rebus terrenis implicare, & à cultu Divino nata sunt avocare: inter quæ eminent streptus judiciales, qui, ut capite præcedenti notatum est, magis hominem rebus terrenis implicare solent, quam opera servilia.

II. Constitutio Constantini Magni de observantia diei Dominici seu *Solis* superiori capite relata, qua dicitur: "omnes judices, urbanaeque plebes, & cunctarum artium officia die *Solis* quiescant: [at aperte streptus judiciales die illo debere quiescere indicat.

Quinimò eidem Imperatori consideranti, ipsos Gentiles à suis Festivis sive Deorum Festivis jurgia litigiorum amovisse: "indignissimum videbatur diem *Solis* veneratione sui celebrem, altercantibus jurgis & noxiis partium contententibus occupari; ut loquitur in *L. 1. Cod. Theod. De Festivis*.

III. Theodosius Imperator in *l. 2. Cod. eod.* ait: "Ut die Dominico emancipare ac manumittere liceat, te, liquæ causæ, vel lites quiescant." Dein paucis interpositis adjungit: "Sanctum quoque diem Paschæ, & Van Epen Jur. Eccl. P. II.

diem Natalis Domini, & Ephiphaniæ, septem qui præcedunt, & septem qui sequuntur, sine streptu volumus observari. Et quòd contra hoc factum fuerit, omnibus modis irritatur."

IV. Verum omnibus generalior ipsosque actus judicatos propriis exprimens est Constitutio Leonis & Anthemii in *l. fin. Cod. eod.* "Dies festos Majestati Altissimi dedicati, nullis volumus (inquiunt) voluptatibus occupari, nec ullis exactiõnum vexationibus profanari. Dominicam itaque diem ita semper honorabilem decernimus & venerandum, ut à civitatis excutionibus excusetur; nulla quemquam urgeat admortio: nulla fidei justonis flagitetur exactio, taceat apertio; advocatio deliteat. Sit ille dies à cognitionibus alienis: praconis horrida vox fileat: respirent à controversiis litigantes, & habeant fœderis intervallum: ad sese simul veniant adversarii non timentes, subbeat animos vicaria penitudo: pacta conferant, transactiones loquantur."

V. Canones ipsam dierum festorum sanctificationem unicè desiderantes, eas Imperatorum leges laudant, atque frequenter adoptarunt, renovaruntque.

Sub nomine Concilii apud Compendium in *Cap. 1. De Festivis* præcipitur, ut omnes dies Dominicis observentur, & "in eis mercatum minimè fiat, neque placitum: neque aliquis ad mortem, vel ad penam judicatur, nec Sacramenta (nisi pro pace vel alia necessitate) præsententur."

VI. Ex his juris textibus uno consensu tradunt Juris-Consulti, per Festivis omnem judiciorum actum quiescere debere; & si fieret, non valere. V. G. si sententia feratur; etiam si tum solum pronuntietur, jam ante juridico die composita & concepta; uti post Antonium Fabrum docet Tuldenus ad Codicem titulo *De Festivis num. 2.*

VII. Rectè quoque ibidem Tuldenus reprobat quorundam opinionem arbitrantium, executionem sententiarum die Festivali licitam esse, eò quòd in ea non versetur causæ cognitio: "quia (ait Tuldenus) Festivali non magis disceptatione secuta judicis, quam vexatione damnati violantur; & anxia perscrutatio victoris apparitorumque. Hoc enim potissimum spectant leges."

VIII. Notat quoque ibidem *num. 5.* non rectè quosdam Interpretes: "admittere diebus festis examen testium, quævis in Professo juraverint; neque eorum citationem ob supra citatam legem finalem: nam ejus decretum utique judiciale est, & executio iniqua, ... Sanè cum constet, in festo testes adigi iurejurando non posse *Cap. 1. De Festivis* (qui tamen actus religionis) est nescio, quæ ratione velint eos examine distringi: postea cum suæ potius conscientiarum vel legis divinarum normam examinandæ vacare oporteat.

IX. Et quidem usque ad eò solemnitibus Festivis quæ ob reverentiam Dei noscuntur institutæ, à streptu judiciali "convenit abstinere (ait Pontifex in *Cap. fin. De Festivis*) ut consentientibus etiam partibus, nec processus habitus teneat, nec sententia, quam contingit diebus hujusmodi promulgari."

Ratio decisionis est, quia, ut rectè monet Tuldenus *num. 4.* Festivis religiosa non ad litigatorum favorem sed ad honorem Dei pertinent. Unde ibidem subicit Pontifex: "Licet diebus Festivali, qui gratia vindemiarum vel messium ob necessitates hominum indulgentur, procedi valeat, si de partium processerit voluntate."

X. Addit nihilominus Pontifex hanc parenthesisem, nisi necessitas urgeat, vel pietas suadeat. Hinc uno consensu concludunt Canonista, communi praxi comprobante, urgente necessitate, vel pietate snadente, posse subinde actus judiciales diebus festis exerci

223 scri

ceri. Casus plures passim referunt Interpretes & Doctores ad titulum Codicis & Digestorum De Feriis, qui casu occurrente facile consuli poterunt.

XI. Sicuti ob nimiam à rebus divinis distractionem diebus festis debet quiescere strepitus judicialis; ita eadem ratione cessare debet iis diebus mercatus sive mercatura seu negotiatio. Licet enim propriè non possit operibus servilibus annumerari mercatura, tamen ex illis est, quæ hominem secularibus implicat, & à divinis avocatur: unde jam pridem à Canonibus, uti actum judicialem, ita & mercatum diebus Dominicis vetitum esse ex verbis Cap. 1. de Feriis vidimus.

XII. Hanc tamen quoad eam prohibitionem inter actum judicialem & mercatum communiter notant distinctionem Doctores, quod contractus in mercatu aut nundinis die Dominico celebrati, seclusa consuetudine, sint validi; actus verò judiciales invalidi: licet enim omnes æqualiter vetentur in citato Cap. 1. non tamen mercatus irritatur, neque contractus alicuius actus mercaturam spectantes; sicuti irritantur actus judiciales in dicto Cap. fin.

XIII. Synodi nostræ Belgicæ observationem dierum festorum urgentes, mercatum nundinasque diebus illis proscibunt, vetitaque declarant; eaque ut etiam Regia auctoritate interdicerentur, postularunt.

Synodus P. II. Cameracensis titulo 4. cap. 2. ait: "Similiter eidem Regiæ Majestati supplicetur pro Edicto contra aurigas, nautas & similes, ne Dominicis & aliis festis diebus mercem vehere possint; utque etiam subhastationes, quas vulgo recours, aut pæsemens appellant, & multo magis mercatus, actiones publicæ tempore Missæ & Vesperarum sub gravi pœna prohibeantur: nundina etiam annuæ, & forum rerum venarum hebdomadarium, cum in diem festum incidunt, in alium transferantur ab Episcopis cum consilio Magistratum.

XIV. Synodi postulationi annuens Philippus II. Edicto ad hanc Synodum mandavit art. 8. ut dictæ subhastationes & auctiones publicæ in alium diem non festum differantur: ita tamen ut denuntiationes & proclamationes iis diebus, ob concursum populi, fieri possint extra Ecclesiam finita Missa, aut Vesperis, Nundinæ annuæ, & forum publicum hebdomadarium, si in diem festum incidant, vult ad diem non festum anticipari, vel differri per Magistratum cum communicatione & consilio Episcoporum.

XV. Huic consonat quod jam ante statuerat Synodus P. I. Mechliniensis titulo De Festis cap. 3. "Si forum aut nundinæ incidant in aliquo ex celebrioribus festis, serventur illæ, vel ante, vel post festum, prout Magistratus, cujusque loci judicaverint expedire. "Et in Synodo P. II. Mechliniensis titulo 13. cap. 4. renovatum, & Edicto principum art. 9. roboratum fuit.

XVI. Synodus Bascoducensis sub Masio tit. 12. cap. 2. ait: "Merces etiam suas dictis festis ante fores, vel in vestris domorum vel alibi venales non exponant.

Rursus Synodus Tornacensis anno 1643. tit. 3. cap. 7. ait: "Promotor distictè invigilet contra eos qui diebus festis & Dominicis, etiam foribus clausis merces emere vel vendere præsumunt in civitatibus. "Et ejusdem Diœcesis Synodus anno 1589. tit. 4. cap. 2. "prohibuit, ne die Dominico aut festo vendantur carnes in macello, vel etiam in domibus privatis, nisi superveniente necessitate.

Inter excessus committi solitos diebus festis, & in quos Magistratus cæterosque Officiarios invigilare hortatur Synodus Iprensis Anno 1609. titulo 6. cap. 1. recensentur venditiones carnum in macellis.

Similia in omnibus passim Synodis decernuntur, mandaturque Pastoribus, Archiepresbyteris & Officia-

niis, ut sedulo in contravenientes invigilent.

XVII. Circa venditionem edulium, quæque ad victum quotidianum penè necessaria sunt, nec diu conservari possunt; solentque hodie in omnibus passim civitatibus publicè exponi, extat longum ac moderatum regulamentum Magistratus Bruxellensis, confectum de consensu & cum interventione Jacobi Boonen Archiepiscopi Mechliniensis, libro primo Edictorum Brabantiae pag. 58. quod licet in multis ob consuetudinem inolitam condescendant, ac nonnulla permittat, quæ melioribus temporibus permilla non fuissent, optandum nihilominus esset, ut quæ ibidem decernuntur, ubique exactè hodie observarentur, atque ad ejus normam dies festi colerentur. Hoc inter alia præcipue præ oculis habuisse videntur hujus Regulamenti auctores, ne per hujusmodi mercatus, publica & Parochialia officia impedirentur; & consequenter nec ipsi vendentes aut ementes à frequentatione illorum Officiorum retraherentur; ita enim pleraque ordinantur, ut vel ante tempus inchoandi Divini Officii debeant listere, vel non nisi post absolutum Divinum Officium inchoare queant.

XVIII. Decreto huic Magistratus Bruxellensis in multis consonat monitum S. Caroli anno 1581. ad Parochos missum cujus inscriptio est: Ne quidpiam ematur, vendaturve diebus festis; extatque in Actis Ecclesiæ Mediolanensis pag. 351. Hic imprimis memoratur, jam pridem specialibus à se editis Decretis super observatione festorum, prohibitas esse emptiones ac venditiones quarumcumque rerum, iis dumtaxat exceptis quæ ad humanum usus tantum diei victum necessariz sunt, quæ tamen publicè non exponerentur, & non nisi determinatis horis venditari possent, clausis omnino officinis, ostiolo solum patente.

XIX. Post hæc deplorat, hæc tamen admodum negligi plurimis aperiis exhibentibus officinas, aliis etiam pullos, fructus aliave id genus vendentibus per vicos, & plateas sicut cæteris diebus citra discrimen, publico scandalo pravoque exemplo... Monere verò, non vendentes modo, verum etiam ementes censerit festorum violatores, quippe qui peccato cooperantur, atque adeo participes ejus fiunt: quare qui quis ea, quæ sunt sui sui necessaria pridie festi sibi comparat, exceptis quibusdam minoribus rebus, quarum venditionem certis locis primo mane permissus edicto nostro.

Citatum quoque Regulamentum Magistratus Bruxellensis, permittit diebus festis vendi minores aliquos fructus facile corruptibiles, idque post absolutam Missam soleamem à Parochia usque ad horam primam pomeridianam; item omnis generis acetarii post completorium.

XX. Quantus circa publicas mercium venditiones in multis civitatibus hodie sit excessus, nemini incolarum ignotum esse potest; ipsorum Archiepresbyterorum, Officialium, Promotorum, & etiam civilium Magistratum officio incumbit illis excessibus invigilare; atque delinquentes juxta Synodorum Decreta, & Edicta Principum coercere & punire; ne aliis festorum profanationis ipsi participes efficiantur.

CAPUT V.

De Spectaculis, Choreis, & popinarum Frequentatione vetitis.

- 1. Ab operibus illicitis, aut ad illicita trahentibus diebus festis maxime abstinendum.
- 2. Distinctio inter observationem Sabbathi Judaicam & Christianam.

- 3. Vetita à Theodosio spectacula die Dominico.
- 4. Hæc Constitutio extensa ad omnes dies festivos.
- 5. Etiam Judæis & Gentilibus exhibitio spectaculorum vetita diebus festis.
- 6. Neque ob Natalem Imperatoris in diem festum incidendum exhibitio licita.
- 7. Merito spectacula vetita fuisse extenduntur ex Tertulliano.
- 8. Spectaculorum scditatem delineat Cyprianus.
- 9. Abominations in us committi solitas expressit Lactantius.
- 10. Quid de his senserint SS. Augustinus & Chrysostomus?
- 11. Spectacula sui temporis describit S. Carolus.
- 12. Belgica nequaquam ab his planè dissimilia.
- 13. Synodi & Principum Edicta quomodo ea prohibeant diebus festis.
- 14. Choreæ & trapedia inter personas utriusque sexus atque spectaculis admodum similia.
- 15. His merito applicantur quæ de choreis sui temporis dixit Chrysostomus.
- 16. Judicium C. card. Bellarmini de choreis nostratibus.
- 17. Choreæ cum sanctificatione festorum nullatenus conveniunt.
- 18. Abominandæ choreæ quæ in popinis inter utriusque sexus personas hodie frequentantur.
- 19. Decretum Synodi Tornacensis contra hæc conventicula.
- 20. Simile Decretum Episcopi Gandensis.
- 21. Frequentantes hujusmodi conventicula Pastores Matrimonio jungere non possunt sine licentia Episcopi.
- 22. Quam abominanda in his conventiculis committantur?
- 23. Parachi contra hos abusus agere debent.
- 24. Potestatem Seculariis est contra eosdem abusus agere.
- 25. Edicta Regia contra hæc conventicula.
- 26. Frequentantes hæc conventicula tamquam peccatores publici à Sacramentis arcendi.
- 27. Qui potissimum impedire tenentur frequentationem horum conventicularum.
- 28. Multiplex festorum profanatio per frequentationem popinarum.
- 29. Specialiter vetita popinarum frequentatio diebus festis per Synodorum & Principum Decreta.
- 30. Synodi procedi volunt judicialiter contra frequentantes popinas.
- 31. Exercent etiam alias non illicitas diebus festis saltem tempore Divini Officii vetita, & quare?
- 32. Profanatio festorum præcipue imputanda neglectæ executioni Decretorum Synodaliurn & Edictorum Principum.

I. **D**iebus Dominicis festisque ab operibus servilibus aliisque haud aliis de se illicitis abstinendum sit, ut facilius liberiusque dies illos Deo pietatisque operibus consecrate possimus; quanto magis igitur abstinendum ab operibus malis, aut ad malum de se incitantibus, ipsumque animum suo quasi pondere ad peccata deprimentibus.

II. Augustinus hanc inter judaicam & Christianam Sabbati observantiam assignat distinctionem, quod vacatio Christiana à malis operibus sit, vacatio judaica à bonis operibus. "Ecce & hodie meus dies Sabbati est (ait) hunc in presentem tempore otio quodam corporaliter languido & fluxu & luxurioso celebrant Judæi; vacant enim, ad nugas, & cum Deus præceperit sabbatum, illi in his quæ Deus prohibet exercent sabbatum. Vacatio nostra à malis operibus, vacatio illorum à bonis operibus est. Melius enim est arare quam saltare, illi ab ope-

, re bono vacant; ab opere nugatorio non vacant. "In Psal. 91.

Et rursus Enarratione in psalm. 32. n. 6. "obsevera diem Sabbati, non carnaliter, non judaicis deliciis, qui otio abutuntur ad nequitiam. Melius enim tota die foderent, quam tota die saltarent. Sed tu cogitans requiem in Deo tuo & propter ipsam requiem omnia faciens, abstine ab opere servili.

Similia habet libro De decem chordis c. 3. asseritque de judæorum fœminis, "quod melius die Sabbati lanam facerent, quam tota die in Neomeniis suis impudicè saltarent.

III. Ne ergo Christiani vacando ab opere servili aliiis que functionibus civilibus, otio Judaico defluerent, deliciisque sensualibus, & operibus malis diem festum infunderent admodum jam pridem sollicitè cautum, ut ea omnia diebus Dominicis festisque vetarentur, quæ populum sensuali aliquâ voluptate aut curiositate allicere, & ad vitia quodammodo impellere solent.

Sic legimus à Theodosio anno 386. constitutum: "Nullus Sals (id est Dominico) die populo spectacula præbeat, nec divinam venerationem consecrâ sollemnitate confundat, "L. 2. Cod. Theod. De Spectaculis.

Id ipsum in Occidente, nominatim in Africa ab Honorio Imperatore sanciti anno 401. petisse Patres Africanos docet Canon. 61. in Codice Africano.

IV. Cumque in citata Theodosii lege diei Solis sive Dominicæ dumtaxat mentio fieret, adeoque spectaculorum exhibitio diebus festis permilla videretur; ac deinde dubitaretur, an & Judæis Gentilibusque exhibitio hæc vetita esset; aut saltem si dies Natalis Imperatoris in diem Dominicum aut festivum incidere, in honorem saltem Imperatoris eo die spectacula exhiberi possent: hisce decidendis alteram eamque generaliore edidit Constitutionem tanto Principe dignam, quæ refertur in L. ult. Cod. Theod. De Spectaculis.

Primò ergo hanc prohibitionem ad universos dies festivos extendit dicens: "Dominico, qui septimanæ totius primus est dies, & Natale atque Epiphaniarum Christi, Paschæ etiam & Quinquagesimæ diebus, quamdiu cœlestis lumen lavacri, imitantia novam sancti Baptismatis lucem vestimenta testantur, quo tempore & commemoratio Apostolicæ passionis totius Christianitatis Magistræ à cunctis jure celebratur, omni Theatrorum atque Circensium voluptate per universas urbes earundem populis denegata, totæ Christianorum ac Fidelium mentes Dei cultibus occupentur.

V. Post hæc dubium secundum resolvit subjiciens: "Si qui etiam nunc vel judæi impietatis atque infamiæ detinentur, aliud esse supplicationum noverint tempus, aliud voluptatum.

VI. Expendebat nimirum ipse religiosissimus Imperator diebus illis spectaculorum voluptates haud convenire; nec minus periculi imminere Christi fidelibus à spectaculis per Judæos & Gentiles, quam per Christianos exhibitis.

Denique tertium scrupulum eximens; sententia Christiano Principe digna, suam legem concludit: "Ac ne quis existimet in honorem Numinis nostri veluti majori quadam Imperiali officii necessitate compelli, & nisi divina religione contempta spectaculis operam præstat, subeundam forsitan sibi nostræ serenitatis offensam, si minus circa nos devotionis ostenderit, quam solebat, nemo ambigat, quod tunc maximè Mansuetudini nostræ ab humano genere desertur, cum virtutibus Dei omnipotentis ac meritis univèrsi obsequium orbis impenditur.

VII. Quam merito scenica hæc spectacula ludosque